B. N. C
FIRENZE
1050
5

1050 5



Romæ Apud. Fran^co corbellettum. Sup. pm. Anno 1628 A Pomer. Inuen. Christianus Sas sculp.



1050. 5

ILLVSTRISS. PRINCIPI
FRANCISCO
BARBERINO
S. R. E. CARD. AMPLISS.

CAROLVS FIRENZOLA F.

TVVM confugit in ſinum, hoc eſt in portum felicitatis oratio mea, quæ tuæ, PRINCEPS ILL.ME lucis, auræq; beneficio ſoluit è littore. Fuerit olim

artis extrema tentantis nobile prodigium, nauim omnibus inſtructam armamentis vnius auiculæ ala texiſſe. Tuæ erit humanitatis munus ſingulare, hanc quantulamcumque orationem meam, quæ expreſſam in fronte gerens Eccleſiæ nauim ad te velificatur, vel vna ex tuarum APVM aliis fouere, quarum, in vmbra dicam an luce? orbis etiam terrarum vniuerſus feliciſsimè conquieſcit. Vale.

ORA-

ORATIO.

QVID cauſæ dixerim eſſe, BEAT.^ME PATER, cur delitefcentem in antro noſtri generis Reparatorem vna tantum ſtella, Cęli ſcilicet lingua, prędicarit; eundem Cælo receptum innumera penè ſidera linguas imitata dilaudent. An ideo vnius ſplendore ſideris ſignificari debuit Dei vagientis infantia, quod puderet quodammodo Cælum, pauperiem lacrymaſque traducere imperatoris ſui; cuius nunc triumphos vt iactet, & laureas, totum prorſus abire geſtit in linguas? An iuſtitiæ Sole hominum ſe ſe aſpectui inferente, prodigij loco fuit, quod vel vna Cælo ſtella præfulſerit; ſed eodem mortalium ab oculis ſubducto, par erat, vt ſtellarum

fulgor erumperet, & vnius iacturam Solis infinita propè aſtra redimerent? An Sabæis Regibus Bethlemicum in antrum perducendis vnici ſatis fuit ſideris nitor; Chriſtianæ verò religionis principibus in varias orbis terrarum partes profectionem meditantibus multiplices prænitere debebant faces, vt diuerſa planè ad littora curſum intendentes ſuam ſinguli haberent itineris Cynoſuram. Sic enim videor poſſe ſtatuere, hodierni aduentu Spiritus fuiſſe Eccleſiæ nauim rebus omnibus, ad terrarum orbem victorijs perluſtrandum, opportunis adornatam. Ex ijs difficultatibus ſanè permagnis, quibus ab inuiſis anteà littoribus aperiendis maiorum noſtrorum deterrebatur audacia, illa ſemper maxima habita fuit, quod dirigentis aſtri conſpectu nautæ deſtituti quò potiſſimum nauigationem intenderent, non videbant; cui quidem incommodo tunc obuiam itum eſt, cum Mathematicorum induſtria, immenſa cæleſtium orbium ſpatia breuibus lineis comprehendens, ſua ſibi ſidera conſtituit, ad quæ curſus dirigeretur, eò certiori fidu-

cia

-cia ſecundæ nauigationis, quod hæc aſtra non procul ab aſpectu collocata fulgerent, ſed haberentur in manibus, nauigarent nobiſcum, eſſentque itineris non tam duces, quam comites. O vos ab omni felicitatis parte beatiſſimos ſinceræ fidei, penè dicerem Argonautas, ſed illi aurum rapuere, vos pretioſiorem auro religionem vltro tenditis dilargiri. O capita immortalitati deſtinata, quæ hodie immortalis inſedit ignis, vt Diuini beneficio ſpiritus, laborioſæ nauigationis Duces haberetis aſtra nunquam occidentia; neque enim timere poſſunt occaſum ea ſidera, quibus pro luce ignis eſt, pro igne Deus. Qqid vltra celeberrimum illud decantatæ famæ nauigium, quo vectos heroas finxit antiquitas, præeuntem, viamq; ſibi aperientem columbam gratulatur? An non, quæ fuerat in alijs fabula, ſolidæ veræque vobis gloriæ fuit acceſſio, quando eum ſortiti eſtis itineris ducem, qui olim columbæ ſpeciem indutus fulſit in Iordane, nunc ſtellarum ſplendorem referens fulget è Cælo. Facilis quippe traiectio eſt à columbis ad aſtra:

nam

nam & auium ſidera columbas eſſe, iure quis dixerit, & ſiderum candor ſuas Cælo columbas non deeſſe, teſtatur. Nec immerito in linguas hodierna ſidera conformantur; ſiue vt deſtinatum iter non modò luce ſignificent, ſed etiam blanda oratione perſuadeant; ſiue vt Dei Verbum, quod huius nauigij merces eſt, deferatur in lingua; ſiue vt laborioſæ nauigationis moleſtias ſuaui concentu releuent ſidereæ linguę, hoc eſt Cęli Sirenes prorſus innocentes; ſiue deniq; vt diuinus amor linguis inſtructus erumpere poſſit in voces, quibus mare ac venti obedientes, fluctus inſanos comprimant, ac tempeſtates. Niſi fortè quis arbitretur, aduentantem in igne Dominum acuiſſe vt gladium linguas ſuas, vt eædem flammæ & fingerentur in aſtra ad curſum dirigendum, & formarentur in arma ad orbem terrarum ſubigendum. Si enim ſtellæ manentes in ordine, & curſu ſuo aduerſus Siſaram pugnauerunt, par erat vt hodierna quoque ſidera, errorum caligine obrutam, Deoque rebellem mundi amplitudinem diuinæ ſubderent poteſtati; quando, &

aſtra

aſtra ſunt, quibus lucis iacula in tenebras contorquere ſolemne eſt; & tuam exprimunt linguam, Cæleſtis amor, qui ceteroqui inermis, & nudus vnam habes in ore pharetram, in lingua telum. Nunc enimuerò Cæleſtium linguarum ductum ſequentes Apoſtoli ibunt in luce ſagittarum tuarum, & in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ, bellumque inferent vnum nomine, victoria multiplex, triumphis infinitum; vt eadem, quæ terrarum orbem procreauit lingua, debellet. Aequè enim amoris proprium eſt, atque ideò Deo dignum, & mundum condere, & vincere. Quanquam magis in orbe terrarum ſuperato, quàm condito Diuinæ charitatis potentia gloriatur. Qui enim cælo, terraque conſtitutis Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas, nunc triumphat in igne; vnus enim ignis amori currus eſt verè triumphalis. Cui quidem triumpho ſpeciem addit longè pulcherrimam factus repente de Cælo ſonus tanquam aduenientis Spiritus vehementis; ſiue triumphanti in flammis amori plauſus ille fuerit e Cęlo datus; ſiue eiuſdem amoris vox fuerit, Apo-

ſtoli-

ſtolici nauigij gubernatores inuitantis, vt à Iudææ quamprimum littore ſoluerent, ampliſſimumq; ingreſſi pelagus omnium planè nationum auris commodè flantibus vterentur. Et ſanè quid data diuinitus aſtra ad viam aperiendam profuiſſent, ſi omni prorſus ventorum aſpiratione compreſſa, moleſta interueniſſet, omnique procella procelloſior malacia? Aut quid lapſa etiam Cælo lingua profari poſſit, ſi aura penitus deſit, cui alliſa vocem reddat, & ſonum. Certè cum humanitatem indutus Deus elingui linguam reddidit, ingemuiſſe narratur, hoc eſt ſimul cum lingua auram etiam ad ſonum exprimendum neceſſariam inſpiraſſe. Quæ ſanè linguæ, & auræ coniunctio, opportuna vt nunquam hodie accidit, quò ignearum ardor linguarum ſuaui ventorum afflatu temperetur. Optet ille ardentem ſibi linguam aqua refrigerari, qui cruciatur in flamma. Nos, quibus ardere beatum eſt, auram optamus ad flammearum incendium linguarum temperandum, an potius augendum? Certè ſi ab hac flamma æſtuare, felicitatis ſpex eſt; quanam

ratione melius hoc incendium temperetur, quàm ſi vehementius augeatur? Verum quid rebus omnibus ad nauigationem opportunis inſtructam à Diuino Spiritu Eccleſiæ nauim verbis detinemus? Prodeat illa demum frequenti ſiderum ſatellitio ſtipata, conferto ventorum famulatu comitata, atque adeò euentilata prodeat. Explicet tandem vela, quibus totam excipiens Numinis liberalitatem per cautes & breuia, per ſirtes ac ſaxa, per infames naufragijs ſcopulos velificetur. Non eſt quòd Iudæę genti geminas illas non quidem Herculeas, ſed planè Diuinas ignis, nubisq; columnas inuideat, quas vltra plus progredi, cæleſtis etiam liberalitas minimè poſſe videbatur. Non enim magis noſtrorum hominum peritia conſtitutos ab Hercule terminos prætergreſſa eſt, quàm diuini Spiritus profuſa in homines charitas duplicis illius columnæ fines noua liberalitate ſuperarit. Ignem enim ac nubem duces ſequutus Aegyptiam fugiens Tyrannidem populus vix diuturnos poſt labores, ac pericula eam obtinuit regionem, à qua ſæ-

pius

pius expulſus perpetuo mulctandus erat exilio. At cui aſtra viam indicant, cui arma Cæleſtes linguæ miniſtrant, cui vela implet Diuini Spiritus aura, non aliam nauis habere poteſt itineris ſui metam, quàm littora Diuinitatis. Dixi.

LAVS DEO.

1050. 5
Z
49 457420